



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. II. De observatione pactorum, & eorum confirmatione per Superiorem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

Lege autem prohibentur impuberes, ob imbecillitatem iudicii, nisi meliorem facere possint suam conditionem. Prodigii, quibus interdictum est bonis, minores 25. annis, qui Curatorem habent, &c. qui autem pacisci possunt, sibi tantum regulariter, non autem aliis pacisci possunt, & quidem de omnibus rebus honestis & licitis, quæ in commercio hominum sunt, modò sint paciscentium propriæ, ita ut formam accipiant pacta ex conventionem sive consensu paciscentium, modò, si contractui pactum aliquod adiciatur, non sit pactum tale contra substantiam Contractus.

§. II.

De observatione pactorum, & eorum confirmatione per Superiorem.

Quid pacta legitime inita observari debeant in c. 1. h. t. statuitur, & naturalis æquitas dicitur, ita ut per censuras etiam Ecclesiasticas urgeri possent ad pacti observationem paciscentes, & peccatum grave sit (cæteris paribus) pacta ab altera parte acceptata non servare. Et hinc inferunt Canonistæ communiter de jure Canonico, quidquid sit de jure Civili, actionem in foro externo etiam oriri ex pacto nudo, quia non tantum, quando jus mandat observari aliquid, sicuti mandat jus Canonicum observari pacta, datur ex inde in foro externo actio, sed etiam datur actio de jure Canonico, ad impediendum peccatum.

Confirmantur autem pacta sæpius per supervenientem postea consensum seu ratihabitationem Superioris, uti colligitur ex c. 2. h. t. nisi spectato jure naturali pro-

sus irritum sit, & nullum pactum tale, quo in casu subsequens ratihabitatione confirmare nihil potest, cum juxta Reg. Juris 18. in 6. non firmatur tractu temporis, quod ab initio non subsistit. Neque tamen ad omnia subditorum pacta & conventiones confirmandas superiorum consensus aut ratihabitione semper requiritur, ut patet ex c. 3. h. t. in 6. & per se constat.

§. III.

De diversis pactis illicitis, à jure Canonico reprobatis.

Primo quia pactis privatorum non potest præjudicari juri publico c. si diligenti 12. de foro competent. nullum est pactum, quod juri publico præsertim Ecclesie præjudicat. c. plerique 7. h. t. neque tamen prohibetur pactum, quo quis juri in favorem suum sibi principaliter concessio cedit, c. Pactum 1. h. t. in 6. c. si de terra. 6. & c. Accedentibus 19. de privileg. in 6. Secundo qui renuntiat liti super beneficio Ecclesiastico, adjecto pacto, ut aliquid temporale, etiam expensarum nomine sibi solvatur, illicitam, & simoniacam pactiorem faciat, quia spirituale aliquid pro pecunia vel alia re temporali pretio æstimabili remittit c. Cum pridem 4. h. t. junctà Gloss. V. illicita pactiæ speciem, nisi superioris auctoritas accedat, quæ parti litiganti expensasolvere jubet, quas frustra litigans fecerat, &c. arg. c. Nisi essent 21. de prebend. Tertio pactum alicui factum de succedendo post mortem Prælati aut Beneficiati in Prælatura Ecclesie illius, aut beneficio, nullum est c. Accepimus 5. h. t. cum talia pacta speciem habeant hæredita-